



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui ab episcopo seu ab aliis auaritiæ causa seducti se totonderunt.
xciii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

men iustum negocium est contradicendum propter necessitates diuersas: quia legimus sanctos apostolos negociasse, & in regula S. Benedicti præcipitur præuidere, per quorum manus negocium monasterij transeat. Canes & aues sequi ad venandum, & in omnibus quibuscumque causis superfluum esse. Ecce talia & his similia ministris altaris domini, necnon & monachis omnino contradicimus. De quibus dicit Apostolus, Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.

De clericis iniuste tonsuratis. Cap. XCI.

DE clericis verò hoc statuimus, vt hi qui hactenus iniuste sunt siue canonico siue in monachico ordine tonsurati sine eorum voluntate, si liberi sunt vt ita permaneant, & deinceps cauendum, vt nullus tondeatur, nisi legitima ætate, & spontanea voluntate; vel cum licentia domini sui, vel consensu parentum.

Ne episcopi siue abbates, ante se ioca turpia fieri non permittant. Cap. XCII.

VT episcopi & abbates ante se ioca turpia facere non permittant, sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio diuina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione, & laude domini secundum Apostolum: Siue manducatis siue bibitis, omnia in laude Dei faciatis.

De illis qui ab episcopo seu ab aliis auaritia causa seducti se totonderunt. Cap. XCIII.

Constituit sanè sacer iste conuentus, vt episcopi siue abbates, qui non in fructum animarum, sed in auaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoscumque homines illectos circumueniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione non solum acceperunt, sed potius surriperunt, penitentia canonica siue regulari, vt pote turpis lucri sectatores, subiaceant: hi verò qui vanis promissionibus illecti, vel quibuscumque machinationibus persuasi, mentis inopes effecti, rerum suarum domini esse nescientes, comam deposuerunt, in eo quod ceperunt perseuerare cogantur. Res nanque quæ ab illectis & negligentibus data, ab auaris & negligentibus non solum accepta sed rapta noscuntur, heredibus reddantur, qui dementia paratum,

Y iij

*Ex eodē
cap. 23.*

*Ex eodē
cap. 24.*

*Ex eodē
cap. 25.*

D. BURCHARDI. EPIS. VVORMAC.

auaritia incentorum exharedati esse noscuntur. Si vero nescientibus episcopis aut abbatibus, ministri eorum, quilibet videlicet in clero, hoc fecisse conuincuntur, episcopi & abbates, desidia: illi vero rapacitate & auaritia, iudicentur. Hoc vero quod quis Deo iuste & rationabiliter de rebus suis offert, firmiter Ecclesia tenere debet.

Ut abbatissa magnam curam habeat de congregatione sua. Cap. XCIII.

Ex eodē.
cap. 26.

Abbatissa diligentem habeat curam de congregatione sibi commissa, & provideat ut in lectione & officio, & in modulatione Psalmorum ipsa sanctimonialis strenua sint, & in omnibus operibus bonis illa eis ducat unum præbeat, utpote pro animabus earum rationem redditura in conspectu domini: & stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne forte per indigentiam cibi & potus peccare compellantur.

Ut sanctimoniales in domibus suis cum aliquibus masculis manducare vel bibere non præsumant.

Ex eodē.
cap. 27.

NON debere sanctimoniales in propriis masculinis cum aliquibus masculis, clericis, siue laicis, conuicinis, siue extraneis bibere siue comedere: sed si quando id agendum est, in auditorio agatur, & cum nullo malo colloquium habere liceat, nisi in auditorio, & ab ipsa ram testibus idoneis.

Qualiter indignus abbas à suo separetur officio. Caput XCVI.

Ex cōcil.
Triburi.
cui inter-
fuit rex
Arnolph.
cap. 15.

SI quis autem abbas cautus in regimine, & humilis, castus sobriusque, misericors, disceturs non fuerit, ac uina præcepta verbis & exemplis non ostenderit, ab episcopo in cuius territorio consistit, & à vicinis abbatibus & ceteris Deum timentibus à suo arceatur honore, etiam si omnis congregatio vitiis suis consentiens, abbatem eum habere voluerit.

Ex eodē
cōcil. præ-
sente Ar-
nolpho re-
ge, ca. 16.

De clericis qui tonsuras dimiserint, & uxores acceperint. Caput XCVII.
Clericus si tonsura dimissa uxorem acceperit, qui quidem sit sine gradu nec ad monasterium aliquod à parentibus traditus, si uxorem habere permittitur, iterum tonderi cogatur, nec in vita sua tonsuram negligere audeat.